CELSITUDINI SERENISSIMÆ

FERDINANDI

ETRURIÆ PRINCIPIS


SE, SUASQUE THESES, FLORENTIÆ IN TEMPLO S. SPIRITUS AUGUSTINIANÆ FAMILIÆ SUBLIMIORIBUS AUSPICIIS PROPUGNANDAS

IN PERENNE OBSTRICTISSIMI FAMULATUS MONIMENTUM

FR. JOSEPH MARIA BOCCI SENENSIS

STUDENTIUM MAGISTER

VENERABUNDUS OFFERT.



F L O R E N T I Æ

Apud Michaelem Neſtenus. MDCCV.

SUPERIORUM PERMISSU.

SERENISSIMA

CELSITUDO.

Audax profectò facinus pertentasse facilè sugillabor, quippe qui Serenissimam ipsam Celsitudinem tuam, cujus ob excellam virtutem me continere ab accessu debueram, causam mihi fecerim accedendi. Verùm cumulatus beneficiis animus horret benefacientem horrere. Haud fugiunt flumina mare: immò à mari acceptas tributaria in mare deonerant aquas: ideo enim, teste Sapientissimo, eò revertuntur, quia indè exierunt. Aquæ Sapientiæ salutaris aliquid beneficio Tuo in me redundavit: hinc ad altitudinem

Tui conſpectus innato rebus inſtinctu redire ſategit. Rivulos aquæ iſtius, tamquã fructus ſtudii mei, quod de tua in me ope deſcendit, meis in theſibus vectigales reddo. Non exhibeo laudes, quas refugis, quaſque vel refugiendo maximas à Te ipſo conſequeris; quas enim tribuerem Tibi, qui dignus omni laude, qualis ab omnibus celebraris, dum laudari prohibes, omnem in Te laudem abſorbes? Beneficum igitur gratus agnoſco: non ſic tamen, ut beneficiis Tuis hoc ingenioli mei perexiguo tributo facere ſatis pręſumã: ſed, ut impotens dare totum, quod debeo, nitar offerre quod poſſum, certus nova apud Te onera ſubiturus, ſi non dedigneris accipere. Haud abs re videatur, quòd Tibi pacem amanti, & ſpiranti pacem vultu, moribus, virtutibus, quæ omnes in Tui amorem, & venerationem conciliant, Auguſtinianæ doctrinæ ſententias ſub bellicorum nomine inſtrumentorum ſubdo: maximè ſub hoc cœlo, ubi ſua pace Florentia floret, dum alibi per Europam bellum cruento Marte deſævit; habet, fateor, ſua bella Minerva: at, quæ in pace fiunt, nempe ſine præda, ſine ſanguine, ſine cæde. Neque ab illis abhorrent Eccleſiaſtica ſtudia; Eccleſiæ enim collum myſticè Salomon deſcripturus, ſi Divo Anſelmo fidem accomodemus, ideò Turri aſſimilavit Davidicæ, ut Doctores exprimeret, in quibus militat pro Eccleſiæ pace verus David, CHRISTUS: ideò propugnaculis dixit ędificatam, ut Doctores iidem firmis Scripturarum ſententiis muniti procul inſultantes hoſtes intelligerentur pulſuri: ideò tandèm ex ea pendentes clypeos lineavit, ut in-

no-

notesceret, cęteros infrà Doctores à Doctoribus dogmata, sententiasque sumpturos, quibus, & se protegere, & alios possent devincere. Hæc cùm ita sint, illud pro certo habendum erit, Augustinum prę aliis Doctoribus Davidicam Turrim doctrinà suà in Ecclesia altiùs monstrasse, ac custodisse firmiùs. *Omnes enim Doctores*, ait Sanctus Vincentius Ferrerius, *qui venerunt post Augustinum, sustentantur super eius doctrinam*. Utque olim dixerat Sanctus Fulgentius; *Augustinus Turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, &c. etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit.* Theses itaque ex Augustini doctrina deductas, ceu clypeos ex Davidica Turri pendentes, quibus armatus publicum in campum descendam, PRINCEPS SERENISSIME amator pacis, excipere ne graveris; nam & lectulum Regis pacifici fortes ambiebant armati, thronum leones. A Te in Sapientiæ certamine dexterà illa me sustinendum spero, qua in aliis de me periculis hucusque benignè affuisti. Ita fiet, ut si Regem pacificum extra pugnam fortes protegebant armati, Tu Pacis Princes debilis armati sis Protector in pugna.

CELSITUDINIS TUÆ SERENISSIMÆ

Humillimus, Addictissimus, & Obsequentiss. Serv.
Fr. Joseph Maria Bocci Augustinianus.

TURRIS DAVID,

QUÆ ÆDIFICATA EST CUM PROPUGNACULIS, MILLE CLYPEI PENDENT EX EA. Cant. 4.

HOC EST

DOCTRINA S. P. N. AUGUSTINI

SCRIPTURARUM SENTENTIIS MUNITA: PLURIMI ARTICULI EX IPSA INFERUNTUR.

I. CONTRA ATHEOS.

TURRIS DAVID. Deus non est hoc, vel illud bonum: sed omnis boni bonum. *Doctrina S. P.N. Aug.* 8. *de Trinit c.* 3. *PROPUGNACULUM.* Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. *Psal.* 13. *CLYPEI PENDENTES.* Datur Deus. Dari enim oportet omnis boni bonum, quod sit ultimus finis hujus, vel illius boni: atque adeò à quo hoc, vel illud bonum sit. Ob summum illud bonum ab homine offensum, hominem conscientia torquet; ac si enim illius vicaria esset, vel locum tenens, accusat, testatur, damnat, quia recessit ab eo, ad quod naturâ ipsâ inclinatur. Ex eo quod omnis boni bonum est, bonum Societatis, atque Reipublicæ ab ipso est, & sine ipso nulla Societas, nulla Respublica in tuto esset.

II. CONTRA POLYTEOS.

TURRIS DAVID. Si de solo Deo propriè verificatur hoc verbum *EST*, nihil habet Deus contrarium: Si [*enim*] queratur quid sit ei contrarium, quod est? Respondetur, quod non est. *Doctrina S. P. N. Aug.* 12. *de Civit. Dei cap.* 2. *PROPUGNACULUM.* Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est. *Deut.* 6. *CLYPEI PENDENTES.* Unicus est Deus, non duplex, nec multiplex: nec quidem bonus unus, aut malus alter: aut ambo, vel plures boni; non plures boni, quia repugnant plura omnia bona; non unus bonus, à quo omnia bona, & alter malus, à quo omnia mala: Si enim concipiatur Deus malus, debet concipi tanquam contrarius Deo bono: Deus autem bonus, cùm constituatur per esse, contrarium in natura habere non potest, nisi non esse.

III. CONTRA GENTILES.

TURRIS DAVID. Confundantur qui Christum magicis artibus fecisse dicunt quæcumque fecit miracula; nam & hoc, quod mortuus colitur, magicæ potentiæ deputandum esse contendunt. Proferte codices Propheticos, ò Judæi, Christi Inimici, ut ex ipsis Pagani convincantur Inimici.

Prophetas longè antequam nasceretur ante se præmisit, qui omnia, quæ superius diximus, prædixerunt. Numquid si magicis artibus fecit, ut coleretur mortuus, magos miserat antequam natus? *Doctr. S. P. N. August. Or. cont. Pag. cap.* 18. *PROPUGNACULUM*. Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. *Act.* 3. *CLYPEI PENDENTES*. Solis miraculis non annuntiamus Paganis Fidem in Christum: Illa enim magię tribuunt. Validum contra ipsos argumentum est impletio eorum, quæ longè ante Christi adventum de Christo à Prophetis prędicta fuere; Illa enim à Christianis conficta fuisse, suspicari haud possunt, quia eadem prorsus leguntur in Bibliis Judęorum, qui inimici sunt Christi.

IIII.

CONTRA JUDÆOS.

TURRIS DAVID. Illo tempore, quo jam de Tribu Judæ Regnum defecerat, veniendum erat Christo vero Salvatori Domino nostro. *Doctrina S. P. N. August. lib.* 22. *cont. Faustum c.* 85. *PROPUGNACULUM*. Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de fæmore ejus donec veniat, qui mittendus est. *Gen.* 49. *CLYPEI PENDENTES*. Vaticinium Jacobi super Juda Gen. 49. intelligendum est de Messia. Probat Messiam jam venisse. Nomen שבט, quod habetur in textu Hębreo, significare ibi non potest oppressionem, ac dispersionem; hinc falsa omninò est quorundam Rabbinorum interpretatio, quæ dicunt, vi prędicti vaticinii Messiam non venturum, nisi subverso Romanorum Imperio, & Urbe deleta, dominium refloreat Hæbreorum. Porrò sententiam hanc ex Augustino deductam firmiorem reddimus innitentes ejus propugnaculo prout reperitur in Hębraico fonte.

V.

CONTRA EOSDEM.

TURRIS DAVID. De Marię Virginis generatione legimus; Porta erat clausa, & non est aperta. Tanquam si interrogaretur, cur aperta non esset? adjecit; quia Dominus transivit per eam. Porta clausa, id est, signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas: non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. *Serm.* 2. *de Nat.* Et. Ecce Virgo in Utero accipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus, idest, latens in humana fragilitate majestas: sicut in Joanne Evangelista legimus: Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, idest, in fragilitate corporis nostri. *Ibidem*. *PROPUGNACULUM*. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Is.* 7. *CLYPEI PENDENTES*. Prędictum Isaiæ vaticinium malè exponitur à quibusdam Judęis de partu uxoris ejusdem Prophetę. Malè rursus ab aliis Judęis de Ezechia ab uxore Achazi in lucem edendo. Intelligi debet de partu virgineo, quo nasciturus erat Messias. Vox העלמה quæ habetur in textu Hębr., nequit stare prò puella adolescentula, sed pro vera virgine, quam vir numquam cognoverit. Totum hoc impletum est in partu, quo Maria sanctissima edidit Jesum.

VI.

CONTRA EOSDEM.

TURRIS DAVID. Movit Cœlum [*Deus*] Angelorum, & Syderum testimonio, quando incarnatus est Christus. *Doctrina S. P. N. Aug. lib.* 18. *de Civit.*

Civit. Dei. c. 35. Non itaque Aggęi Prophetia in Templi illius restauratione completa est; ex quo enim instauratum est, nunquam ostenditur habuisse tantam gloriam, quantam habuit tempore Salomonis, *&c.* Hęc autem Domus ad novum pertinens Testamentum tantò utique majoris est glorię, quantò meliores sunt lapides vivi, quibus credentibus, renovatisque construitur. *lib.* 18. *de Civ Dei cap.* 48. *PROPUGNACULUM.* Adhuc unum modicum & commovebo Coelum, &c. & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria: major erit gloria domus hujus novissimę, quàm primę. *Aggai* 2. *CLYPEI PENDENTES*. Vaticinium Aggęi de Cœlo movendo impletum fuit in adventu Mesię. Major gloria conferenda Templo secundo, ut idem prędixit, non potest accipi relate ad longiorem secundi Templi durationem; nec respectivè ad quæcumque ornamenta. Intelligi debet, vel in ordine ad illum, in cujus adventu Deus moturus erat prodigiis Cœlum: Ille enim pręsentiâ suâ clariorem secundo Templo daturus erat splendorem; vel typicè nomine Templi majoris glorię intelligi potest Ecclesia vivis construenda lapidibus: In hoc mystico Templo daturum se Deus pacem prędixit, cum per Prophetam dicebat, Dabo pacem in loco ipso: Sensus est enim, dabo pacem in loco, quem significat iste locus.

VII.
CONTRA EOSDEM.

TURRIS DAVID. Si, ut vos dicitis [*Judai*] nondum venit, sed expectatur, ut veniat Sanctus Sanctorum, demonstrate unctionem: Si autem, quod verum est, cessavit unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum Sanctorum. *Doctr. S. P. N. Aug. Or. cont. Judaos cap.* 12. *PROPUGNACULUM.* Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, *&c.* ad ungendum Sanctum Sanctorū. *Dan.* 9. *CLYPEI PENDENTES*. Prophetia Danielis 9. de ungendo Sancto Sanctorum intelligi non potest de Cyro, non de Herode Agrippa, non de Arca, vel Sanctuario. Jam defecerat Judęis oleum, quó ista ungerentur. Eam intelligere oportet de solo Mesia, qui ungendus erat oleo exultationis, atque Lętitię. *Psal.* 44. & per quem solum erat inducenda sempiterna Justitia.

VIII.
CONTRA EOSDEM.

TURRIS DAVID. A quolibet fine Terrę usque ad quemlibet finem dominaturum [*Christum*] dixit: Cujus nomen, & potestas toto orbe fuerat prædicanda, multumque valitura. *Doctr. S. P. N. August. in Ps.* 71. *PROPUGNACULUM.* Ecce cum nubibus Cœli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes Populi, & Tribus, & Linguæ ipsi servient: Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. *Dan.* 7. *CLYPEI PENDENTES*: Prophetia Danielis 7. de potestate danda filio hominis non habet pro objecto Populum Judęorum, ut putavit R Lipmannus: sed Mesiam. Jesus Nazarenus is fuit. Huic veritati non obstat Text. Hebr. ubi is, cui potestas promittitur, vocatur כבר אנש *filius viri*: Jesus autem per nos nequaquam viri sit filius. Eidem veritati non derogat, quod Jesu nostro de facto omnes nationes non obediant. Mesię accessus ad antiqum dierum falsò, & impiè exponitur à quibusdam Rabbinis apud R. Lipmannum de illius inopinata apparitione ad conspectum Romani Pontificis. Intelligendus est prorsus de elevatione Mesię

ad

ad conspectum veri Dei. Id autem in Christo impletum est per gloriosam ascensionem in Cœlum.

I X.

CONTRA EOSDEM.

TURRIS DAVID. Facta sunt [*Christo*] vulnera, quorum vulnerum cicatrices dubitans discipulus contrectavit ille, qui dixit: nisi misero digitos meos in cicatrices vulnerum ejus, non credam, &c. Non potuit melius describi extensio corporis in ligno, quàm ut diceret: dinumeraverunt omnia ossa mea. *Doct. S.P.N. Aug. enar. in Ps.* 22. *PROPUGNACULUM.* Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. *Ps.* 22. *CLYPEI PENDENTES.* Quod legitur Psalmo 22. in vulgata editione, Foderunt, &c. non de se David protulit, neque de populo Judęorum, sed de Messia. Intelligendus est textus de vera fossione manuum, & pedum. Etsi in textu Hębreo legatur כארי *Sicut Leones*, legendum tamen est pro germano textus fonte כארו *Foderunt*. Facile id monstratur testimoniis etiam Judaicis, nec non vi contextus. Hoc in psalmo adeò expressa fuit vera crucifixio, ut expressiùs non potuerit exprimi. Impleta est in Jesu Nazareno.

X.

CONTRA TURCAS.

TURRIS DAVID. Quomodo potuerit duos Patres habere Joseph? nam Matthęus dicit genitum ab eo, qui vocabatur Jacob: Lucas verò filium esse dicit ejus, qui vocabatur Heli; aut unus erat Joseph naturalis Pater, & alter eum adoptaverat: aut more Judæorum, cum sine filiis unus decessisset, uxorem ejus propinquus accipiens, filium, quem genuit, propinquo mortuo deputavit; &c. Quapropter tanta est eorum dementia, qui delabuntur ad Evangelistarum aliquem de mendacio criminandum. *Doct. S.P.N. Aug. lib. 2. q. q. Evang. q.* 5. *PROPUGNACULUM.* Nunc itaque [*ait Jacob ad Filium suum Joseph*] Filii tui duo, qui nati sunt tibi priusquam ad te venirem, mei sunt, Ephraim, & Manasses: tanquam Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. *Gen.* 44. Quando habitaverint Fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam Frater ejus, & suscitabit semen Fratris sui, &c. *Deut.* 25. *CLYPEI PENDENTES.* Pessimè ajunt Mahommedani, inter Matthęum, & Lucam dissonantiam inveniri de Christi genealogia. Optimè conciliari potest, quomodo S. Joseph habuerit Patrem Jacob, ut ait Matthęus, & rursus quomodo habuit Patrem Heli, ut ait S. Lucas. Nam respectu unius Filius fuit naturalis, respectu alterius, aut legalis, aut adoptivus.

X I.

CONTRA EVANGELICOS.

TURRIS DAVID. Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beati Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sępissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc Petram intelligeretur, quem confessus Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi; ac si Petrus ab hac Persona appellatus Personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, &c. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligit

gat Lector. *Doct. S.P.A. lib. 1. Retr. cap. 21.* *PROPUGNACULUM.* Ait Dominus Simoni Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi PRO TE, ut NON DEFICIAT FIDES TUA, et tu aliquando cōversus CONFIRMA Fratres tuos. *Luc. 22.* Surgens Petrus dixit ad eos: Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus PER OS MEUM audire Gentes verbum Evangelii, & credere. *Act. 15.* *CLYPEI PENDENTES.* Oraculum Christi Matt. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. intelligi potest de Petra, qui est Petrus, quod renuunt Evangelici. Esto probabile demus, quod Ly *Petra* Christum denotet, adhuc cohęret Petri supra cęteros firmitas in docendo, si quę insurgant dubia circa credenda, vel facienda ob consequendam salutem; eo enim transmisso, licet Petrus non sit Petra, à Petra tamen, quę est Christus, denominationem, atque adeò firmitatem sortitur. Sive enim Petrus sit Petra, sive denominetur Petra à Christo, semper tamen verum est, per os ejus verba Evangelii audienda esse, & credenda. Quod dictum est de Petro, concessum illi à Christo privilegium firmitatis, & cęteros confirmandi, dicendum est de Romano Pontifice canonicè electo.

XII.

CONTRA RIGIDIORES CALVINISTAS.

TURRIS DAVID. Non potest [*Deus*] quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. *Doct. S.P.N. Aug. lib. 3. contra Jul. c. 18.* Prædestinatione quippe sua Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus &c. præscire autem potest etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. *De Præd. SS. c. 10.* *PROPUGNACULUM.* Absit à Deo impietas, &c. Verè enim Deus non condemnabit frustrà, nec Omnipotens subvertet judicium. *Job 34.* Nolens (*Deus*) aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. *2. Pet. 3.* Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Ps. 5.* *CLYPEI PENDENTES.* Reprobatio intentivè sumpta non est gratis: atque adeò non prędestinat Deus aliquem ad Gehennam, nisi ob culpam. Ob suam bonitatem Deus causa peccatorum non est, nec esse potest, neque physica, neque moralis.

XIII.

CONTRA MENNONISTAS.

TURRIS DAVID. Hoc generi humano inflictum vulnus à Diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub Diabolo, tamquam de suo frutice fructum jure decerpat. *Doct. S.P.N. Aug. lib. 1. de Nupt. & conc. c. 23.* Cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit. *lib. 1. de Præd. SS. c. 12.* *PROPUGNACULUM.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum. *Joann. 3.* *CLYPEI PENDENTES.* Baptismus infantum rationis usum non habentiū non est humana traditio nata in regno Anti-Christi, sicut impiè dicunt Mennonistę in sua Conf. art. 21. colloc. FranKeltal. art. 12. Est necessarius ipsis ut eruantur de potestate diaboli, & vitam consequantur ęternam. Est Doctrina apertè in Evangelio fundata.

XIV.

CONTRA OMNES NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS.

TUR. DAVID. Orationibus S. Ecclesiæ, & Sacrificio Salutari, & Eleemosinis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuo adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt;

hoc

hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis, & Sanguinis Christi cõmunione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. *Doct. S. P. N. Aug. Ser. 32. de Verbis Apost.* *PROPUGNACULUM.* Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. *Cor.* 3. Duodecim millia drachmas argenti misit [*Judas*] Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. 2. *Mach.* 12. *CLYPEI PENDENTES.* Purgatoriũ non est merum Monachorum figmentum, sicut erogationes ad celebranda pro ipsis Sacrificia non sunt adinventę pro quęstu, ut blaterant Hęretici. Tùm Sacrificia, tùm erogationes pro Sacrificiis, de antiqua Patrum traditione descendunt. Juvant defunctorum animabus, vel ut omninò deportentur ad gloriam, vel ut mitiùs puniantur, quàm defunctorum meruere peccata.

X V.
CONTRA REMONSTRATENSES.

TURRIS DAVID. De adventu ejus novissimo respondit (*Christus*) atque ait: non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Doct. S. P. N. Aug. lib.* 18. *de C. D. c.* 50. *PROPUGNACULUM.* Quibus [*Apostol s*], & prębuit se ipsum vivũ post passionẽ s[u]am in multis argumẽtis per [d]i[e]s quadraginta apparens eis, & loquens *DE REGNO DEI. Act.* 1 *CLYPEI PENDENTES.* Non est restituendum à Christo regnum Chiliasti[c]um in terris, ut pessimè censent Anabaptistę Remonstratenses in libello de restitutione Regni Israelis. Paulò ante Dominicam Ascensionem Apostolis interrogantibus, n[o]n restituturus esset regnum Israel? Respondit Christus loquendo, non de aliquo regno terreno in Palestina reparando, ut ex eo loco iidem Remonstrarenses intulerunt. Si autem quęratur, an Apostoli ipsi Christ[u]m sic t[u]nc interrogantes hab[u]erint in mente aliquod terrenum Regnum? Partem negativam respondendo tuemur.

X VI.
CONTRA GRÆCOS.

TURRIS DAVID. Cur autem quarta, & sexta feria maximè jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendũ Dominum fecisse Judæi; intermisso autem uno die, cujus vespera Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem dicimus quintam Sabbati, deindè traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azimorum fuit à [*prima*] vespera incipiens. Sed Matth. Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem Azimorum, quia ejus vespera sequente futura erat Cœna paschalis, qua Cœna incipiebat azymum, & Ovis immolati manducatio. *Doct. S. P. N. Aug. Ep.* 186. *PROPUGNACULUM.* Prima autem die Azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est: apud Te facio Pascha cum discipulis meis; & fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim disci-

pulis

pulis suis.*Matt.* 26. *CLYPEI PENDENTES.* Ultimum Pascha Christus celebrans, non antevertit ejus celebrationem. Illud solemnizavit eodem tempore ac Judęi. Pascha eo anno non fuit à Judęis translatum in alium diem. Instituens ineffabile sui Corporis Sacramentum consecravit in azimo.

XVII.

CONTRA JANSENISTAS.

TURRIS DAVID. Deus impossibilia nō jubet.*S.P.A.de Sp.& lit.c.*34. Misericordia Dei pręvenit nos: consentire autem Dei vocationi, aut ab ea dissentire, sicut dixi propriæ voluntatis est. *S.P.N.A.de Nat.& Gr.c.*43. Dicere peccati reum teneri quemquā, quia nō fecit quod facere non potuit, summę iniquitatis est, & insaniæ.*lib.de duab.anim.c.*12. Cognovi te Creatorem, Salvatorem, & Redemptorem nostrum, & totius humani generis. *lib. Soliloq. c.* 32. *PROPUGNACULUM.* In conspectu hominis vita, & mors, & quodcumq; placuerit dabitur ei. *Eccl.* 15. Noli deficere à disciplina Domini. *Prov.*5. Quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? *Matt.* 23. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino. *Eccl.* 31. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi. *Prima Jo.* 2. Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro VOBIS fundetur.*Luca* 22. *CLYPEI PENDENTES.* Nullum Dei pręceptum hominibus Justis est impossibile. Interiori g atię in statu naturę lapsę aliquando resistitur. In eodem statu lapsę naturę ad merendum, vel demerendum non sufficit libertas à coactione, sed requiritur Libertas à necessitate. Christus pretiosum suum Sanguinem fudit etiam pro gravissimis peccatoribus, etiamsi tandem damnentur, quia volunt: Fundendum enim in Cœnā prędicens Christus, inquit, QUI PRO VOBIS FUNDETUR: Inter illos autem, quos alloquebatur, erat Judas.

XVIII.

AD SCRIPTURISTAS.

TURRIS DAVID. Cum eum visā Stellā Magi quærerent adorare, venerunt ad Herodem, & dixerunt quid quærerent, & quid vellent; ille autem convocatis eis, qui legem sciebant, quæsivit ab eis, ubi Christus nasceretur, illi dixerunt, in Bethleem Juda, & testimonium etiam propheticum posuerunt. *S.P.N.Aug.tract.*31.*in Jo.* Producens autem S.P. testimonium illud propheticum, ut relatum ab Evangelista *lib.* 2. *de Consensu. Evang.* inquit: Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Rursus adducens idē testimonium, ut prolatum à Propheta. *lib.* 18. *de Civit. Dei*, *cap.* 30. dicit, Prædicens [*Michęa*] & locum, in quo natus est Christus: & Tu, inquit, Bethleem domus Ephrata minima es, ut sis in millibus Juda: ex te mihi prodiet, ut sit in Principem Israel. *PROPUGNACULUM.* Incipiens [*Jesus*] à Moyse, & Prophetis interpretabatur illis [*Discipulis*] in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Luc.*24. Paraclytus autem Sp.S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Jo.* 14. *CLYPEI PENDENTES.* Vaticinium de loco, in quo nasciturus erat Christus, quod retulit S.Matt.c.2. est illud idem, quod protulit Michęas cap. 5. Nec obstat quod Michęas dixerit: *Bethlehem Ephrata:* Matthęus verò, *Bethleem Juda*. Nec quòd ille *minima es*, hic ne-

nequaquam minima es pronunciaverit. Nec demum quòd hic ait: *In principibus*, ille autem *in milibus*. Sensus enim omnium Prophetiarum, sicut duo Emaunti-ci discipuli minus quàm uno die, ita & Matthęus cum ceteris Apostolis didicit à Christo post resurrectionem spatio quadraginta dierum, vel die Pentecostes à Sp. Sancto. Totum hoc putamus adeò verum in Augustini mente, ut nullum natum illi sit dubium de dissonantia Matthęi ad Michęam.

XIX.

AD EOSDEM.

TURRIS DAVID. Non obscurè conijcitur tempore eo, quando, ut dixi, reum mortis pronunciaverunt [*Judei*] horam nonam noctis esse potuisse: ex qua hora usq; ad horam, qua sedit Pilatus pro Tribunali quasi hora sexta fuit, nō diei, sed Parasceve, idest preparationis Immolationis Domini, quod verum Pascha est, ut plena sexta ejusdē Parasceves, quę plena diei tertia occurrebat, Dominus suppenderetur in Ligno: sive ergo hoc potius intelligendū eligatur: sive quod Marcus tertiam horam, eamque maximè ad condemnationem Judęorum in Domini Crucifixione, commemorare voluerit, qua intelliguntur clamare potuisse, ut crucifigeretur, ut ipsos potius confixisse acciperemus, quàm eos, quorū manibus in ligno suspensus est, &c. procul dubio quęstio soluta est de hora dominicę passionis. *Doct.S.P.N.A.lib.3.de cons. Evang.c.13. PROPUGNACULUM*. Petistis virum homicidā donari vobis, Authorē verò vitæ interfecistis. *Actor.3.* Pascha nostrū immolatus est Christus. 1.*Corinth.5. CLYPEI PENDENTES*. Quod ait S. Marc. c. 15. Judęos crucifixisse Christum hora tertia, non contradicit iis, quę dicit Jo. 19. traditum à Pilato Jesum Judęis hora quasi sexta. Rursus quod scribit Jo. traditū fuisse Judęis hora quasi sexta, non contradicit iis, quę referuntur ab aliis tribus Evangelistis, nempè hora sexta factas Tenebras super universam Terram. Primo, quia Crucifixio, de qua Marcus, intelligi potest de Crucifixione postulata, qua scil. Judęi publicè à Pilato petierunt, ut crucifigerent eum. Secundo, quia loquebatur Jo. de hora sexta Parasceves Dominicę Immolationis, quę est Christianorum Pascha; Sexta enim hujus Parasceves est Tertia diei.

XX.

AD EOSDEM.

TURRIS DAVID. est apud Jeremiam, quod emerit agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum, &c. Ex Domini revelatione cognoverat (*Matthæus*) ad hanc rem, quæ de Christo prætio facta est, hujusmodi pertinere Prophetiam. Liber quippè empti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile: & æmitur hic de prætio Domini Ager Figuli: & hoc ad sepulturā Peregrinorum, tanquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per Baptismum. Nàm & illam emptionem agri hoc significare Jeremiæ dixit Dominus, quia erit permansio de captivitate liberatorum in illa terra. *Doct.S.P.N.Au.lib.3.de conf.Evang.c.13. PROPUGNACULUM*. Nō vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Chrift. Dom. apud Matt.10. CLYPEI PENDENTES*. Quod ait S.Matthęus de emptione Haceldame, seu agri Sanguinis, tunc scilicèt impletum fuisse Jeremię Prophetiam, Spiritu Sancto afflatus dixit. Pessimè se gesserunt Magdeburgenses substituentes Zachariam pro Jeremia cent. 1.c.10. Neque ad salvandum Evangelistę effatum dicendū est, quod perierint alia scripta Jeremię, in quibus fuerat vaticinium, quod hìc a Mattheo citatur. Satis est, si cum Au-

gu-

gustino dicamus, Matthęum respexisse ad emptionem Agri, de qua fit sermo Jer. 32. Illa enim circumstantiis, & fine inspectis, tanquam umbra suo corpori, adamussim quadrat emptioni agri, quę emerunt Judęi, & de qua Evangelista loquitur. Palmaris namque circumstantia agri à Jeremia empti, fuit imminens Jerusalem vastatio per Chaldęos inducenda, populiq; Judaici in Babyloniam captivitas; finis autem emptionis ejusdem fuit securitas reductionis Populi ad quietam Civitatis habitationem.

XXI.
AD SCHOLASTICOS.

TVRRIS DAVID. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prędestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetųr. *Doct. S. P. Aug. lib. correp. & Grat. c.* 12. *PROPVGNACVLVM*. Ab initio fecit Deus Hominem rectum, & posuit eum in manu consilii sui. *Eccl.* 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructus vester MANEAT. *Jo.* 15. *CLYPEI PENDENTES*. Perseverantia finalis in hominibus pro hoc statu est donum Dei, non fuisset autem donum Dei in Adam, sicut est nunc in nobis, si ille innocentiam non amisisset: In ea enim hypothesi perseverantia Adę fuisset pręvisa à Deo per scientiam mediam. Scientia media non est absolutè impossibilis. Ad salvandum in Deo conceptum primę causę non sunt necessaria decreta physicè prędeterminantia.

XXII.
AD EOSDEM.

TVRRIS DAVID. Exiit [*Spiritus Sanctus*] non quomodo natus, sed quomodo datus, ideoq; non Filius dicitur. *Doctr. S. P. N. Aug. lib.* 5. *de Trin. c.* 14. Filius est eò imago, quò Filius. *lib.* 6. *de Trinit. c.* 2. *PROPVGNACVLVM*. Cum autem venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c. *Joann.* 15. *CLYPEI PENDENTES*. Spiritus Sanctus, de quo ajunt Scripturę, non quòd gignatur, sed quòd procedat: Item quòd sit Spiritus, non autem quòd sit Filius, revera non est Filius, neque gignitur; Ratio, cur filius non sit, nec generetur, ea est, quia non procedit ut imago principii, à quo procedit.

XXIII.
AD EOSDEM.

TVRRIS DAVID. Certus sum, quod quęcumque (*Anima*) sine gratia mediatoris, & Sacramento ejus in qualibet corporis ætate de corpore exierit &c. in ultimo Judicio receptura sit Corpus ad pœnam. *Doct. S. P. N. Aug. Epl.* 28. Sinistris dicturus (*Christus*) Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas Infantes. *Serm.* 14. *de Verb. Apl. PROPVGNACVLVM*. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem. *Rom.* 5. *CLYPEI PENDENTES*. Non soli Adulti, sed etiam Parvuli, qui usum ratio-

tionis nô attigerunt, resurgent in ultimo judicio. Qui decesserunt sine gratia mediatoris absq; Baptismate, sive parvuli, sive adulti, damnabuntur. Proptereà parvuli morientes sine lavacro regenerationis mittendi sunt in gehennam, ibique passuri, non solùm pœnam damni, sed etiam pœnam sensus.

XXIV.

AD EOSDEM.

TURRIS DAVID. Charitas inchoata, inchoata Justitia est. Charitas provecta, provecta Justitia est: Charitas magna, magna Justitia est: Charitas perfecta, perfecta Justitia est. *Doct.S.P.N.Aug.lib.de Nat.& Gr.c.* 70. Ea per charitatem hanc [*actualem*] operans fides me securum non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa sunt. *lib.9.confess.c.*4. PROPUGNACULUM. Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus. 1.*Jo.*3. *CLYPEI PENDENTES.* Charitas habitualis per se reddit hominem sanctum, justum, amicum, & filium Dei. Gratia sanctificans non est entitas realiter distincta à charitate habituali. Charitas actualis, si proveniat ab habituali, necessariò conjuncta est statui justitiæ, & sanctitatis. Secùs dicendum de charitate actuali, quæ ab habituali non procedit, dummodò non sit perfectissima.

XXV.

AD EOSDEM.

TURRIS DAVID. Mirum si potest in medio quodam voluntas ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona est, & si minus, minus bona est: aut si omninò non diligimus, non est bona. *Doct.S.P.Aug. lib.2.de pec.mer., & rem.c.*18. Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est, nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. *lib.de util.cred. c.*12. PROPUGNACULUM. Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autē arbor malos fructus facit. Non potest autem arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur. *Matt.*7. *CLYPEI PENDENTES.* Homo dum agit humano modo tenetur non tantùm impedire, ut si a actio positivè discordet à recta ratione, sed etiam debet efficere, ut positivè cum illa concordet. Inter fructus actionum humanarum alii quidem boni, alii autem mali, medii non sunt. Actus igitur humani indifferentes in individuo non dantur.

XXVI.

AD EOSDEM.

TURRIS DAVID. Sola gratia redemptos discernit à perditis. *Doct.S.P.N.Au. in Enchir.c.*98. Nec damnatus ex debito de supplicio justè quæritur, nec liberatus gratis de merito superbè gloriatur: sed potiùs humiliter gratias agit, quòd in illo, à quo debitum exigitur, quid in eadem massa sibi donetur agnoscit. *lib.4.cont.Julian.c.*8. PROPUGNACULUM. Reliquiæ secundùm electionē gratiæ SALVÆ factæ sunt: si autē gratia, jam nō ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia. *Rom.*11. *CLYPEI PENDENTES.* Electio æterna, qua Deus electos homines a reprobis discrevit, pura gratia est. Hinc non est admittenda prædestinatio ad gloriam, quæ facta fuerit ex prævisione meritorum.

FINIS.